

DISPUTATIO THEOLOGICA
Pro VIII. Artic. Form. Conc.

D&E

PERSONA CHRISTI,

Q U A M

Deo Opt. Max. Benedicente,

P R A E S I D E

Plurimum Reverendo, Praclarissimo & Excellentissi-
mo Viro,

DN. M. GEORGIO C. ALA-

NO, In Regia Academia Aboënsi, S. S. Th, Professore
primario, Utriusq; Ecclesiae Aboënsisac Nummen-
sis Pastore Vigilansiss. Praeceptore, Mecœnate
& Nutritio suo propensissimo, publico

Examinis submittit

MARCUS GEORGII HELSINGIUS
Nylandus.

Addiem Novembris Anni 1655.
Horis Matutinis consuetis.

A B O Æ

Excusa à PETRO Hansen Acad. Typogr.

Reverendissimo in Christo Patri,

DN. M. PETRO J. BIUGGE, Diœc-
cessos Wiburgensis Episcopo celeberrimo; Consistorij Ecclesi-
astici Præsidi gravissimo: patrono & Meæenati suo, humili
animi observantia æternum devenerando,

Plurimum Reverendo & gravissimo Viro,

DN. M. MATTHIAE IACOBÆ O. Utriusq; Ecclesiæ
Wib. Pastori vigilantiss. Consistorijq; seniori & Archipræt.
dignissimo: Promotori reverenter suspicioendo.

Reverendis & præclarissimis Viris,

DNN. MM. Consistorij ibidem **AD SESSORIBUS** Gymna-
sijq; **LECTORIBUS** dexterimis, Præceptorib. nuper fide-
lissimis, nunc promotorib. quovis obsequij & honoris;
cultu jugiter prosequendis.

N E C N O M

Reverendis, Clarissimis & venerabilibus Viris,

DN. ZACHARIAE J. STACHÆ O. Ecclesiæ Dei in
Perno Pastori fideliss. ejusdemq; ut & vicinarum Præposito
attentiss. Nutritio hæc tenus suo liberaliss. fautori
& Evergetæ, piè devoteq; colendo.

DN. M. HEINRICO CARSTENIO, Utriusq; Ec-
clesiæ Borgoënsis Pastori percelebri, fautori & benefa-
ctori plurimum honorando.

DNN. MM. Scholæ Helsingf **MODERATORIBUS** lon-
gè meritissimis, ut non ita pridem Præceptorib. Charissimis;
ita nunc promotoribus, magnopere venerandis.

*Primitias Has Academicas in debi-
tum, pro beneficijs grati ani-
mi Symbolum dedicat & offert.*
Resp.

D. O. M. A.

De

PERSONA CHRISTI

THESIS I.

Recet Form. Concor-
diæ authores. articulo de Cœna
Domini, illum qui de Christo agit, sub-
junxerunt. Quum enim D. Lutherus
Veram & substantialem corporis & sanguinis Christi, in sa-
cra Cœna præsentiam, ex verbis institutionis cœnæ fir-
miter demonstrasset, subinde ipsi à Cinglianis obijcie-
abut, Assertione hac, veritatem corporis humani ne-
gari: quod in cœlo & terris, ubi celebrabatur cœna, si-
mul præsens adesse, non posset.

II. Verum hisce D. Lutherus obviam ivit, & luce
meridiana clarius ostendit, tantum huic metui à ratione con-
ficto, tribuendum non esse, ut propterea à literali & vero sensu
verborum institutionis sit discedendum. Nihil enim huma-
næ naturæ in Christo veritati obstarere, si simul in terris &
cœlo præsens adesse statuatur, cum majestas illa ipsi ex
unione personali competit.

III. D. Lutheru[m] vivis vix sublato, nonnulli, qui
Augustanae confessionis & doctrinae cœlestis à Lutheru[m]
repugnat, strenui defensores videri volebant, in medi-
um prodibant; afferentes, humanæ naturæ in persona Christi,
ea non esse tritbuenda, quæ sint supra, vel etiam contra humanas
illis, naturales & essentiales proprietates. Atq[ue] ita D. Lutheri

doctrinam de reali idiomatum communicatione, non
modo sugillabant, sed & evertere conabantur...

IV. Opposuerunt se his alij Orthodoxyi Theologi,
inter quos & priores illos, hæc quæstio potissimum agi-
tata est: *An divina & humana natura, & utriusq; proprietates,*
propter unionem personalem, realiter, id est, verè & re ipsa in
*persona Christi invicem Communicent, & quousq; communica-
tio illa extendatur?*

V. Hanc nos quæstionem breviter disputatione
præsenti expediemus. Erunt autem totius nostræ tra-
ditionis hæc primaria capita. 1. *Duas in Christo naturas*
personaliter unitas esse, & utramq; naturam in hac persona suas
retinere proprietates essentiales, ostendemus. 2. *Unionem*
hanc naturarum non sine eundem Communicatione factam
esse probabimus. 3. *De proprietatum seu idiomatum commu-*
nicatione, ex unione duarum naturarum dependente, & quousq;
ea extendatur, agemus.

VI. Quod primum concernit, quando cum ortho-
doxa Ecclesia, Christum Deum & hominem esse, seu
duabus constare naturis, divina & humana statuimus,
non geminamus suppositum: sed ita duas illas naturas
in Christo personaliter unitas esse docemus, ut non sint
duo Christi, unus filius Dei, alter filius hominis; sed unus
& idem sit, Dei & hominis filius.

VII. Nam filius Dei ἀνθρώπος, integra & di-
stincta divinitatis aeterna persona, adeoq; ab aeterno ve-
rus, substantialis, perfectus Deus cum patre & spiritu san-
cto, in temporis plenitudine, humanam naturam ἀνθρό-
πον, id est, propria personalitate destitutam in unitatem
personæ suæ assumit, ita ut Christus Jesus, jam in una
perso-

persona sit verus, aeternus Deus, ab aeterno ex patre genitus, & verus homo est laudatissima virgine Maria natus. Verbum enim, ut pulchre Augustinus, non accepit personam hominis, sed naturam; Et in aeternam divinitatis personam accepit temporalem carnis substantiam. Non elhius & & & , qui & & , recteque veteri versiculo Christus *Ωνδρωπός* de se loquitur.:

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dico utrumque;

VIII. Stabiliunt hanc assertionem sequentia scripturarum dictarum quae affirmant; *Unum esse mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum*, 1. Tim. 2. 5. *Unum Dominum Iesum Christum*, per quem omnia, & nos per ipsum 1. Cor. 8. 6. *Unum Christum pro omnibus mortuum esse*, 2. Cor. 5. 15. *Unum esse Virum purum virginis*, id est, Ecclesiæ, 2. Cor. 11. 2. *Unum esse Magistrum Christum*, Matt. 23. 8. Ergo Christus unus est aut & & , aut & & . Non illud quia Deus & homo est. Ergo persona.

IX. Dum unitatem hanc personæ confitemur, non affirmamus, Divinam & humanam naturas in unam substantiam commixtas, neque unam in alteram mutantam esse: sed docemus utramque naturam retinere suas proprietates essentiales: ut quæ alterius naturæ proprietates fieri negantur. Nam salva proprietate utriusque naturæ, & in unam Coeunte personam, suscepta est à majestate humilitas, & natura inviolabilis unita est passibili, inquit Leo in Epist. ad Flavianum. Nec consumit majestatem filij Dei veritas carnis aut veritatem carnis immensitas maiestatis Dei, inquit Augustinus.

X. Proprietates (verba sunt F. C.) divinarum naturarum sunt; esse omnipotentem, aeternam, infinitam, & secundum naturam, naturalisque; essentiae proprietatem, per se ubique presentem esse, omnia novisse, &c. Hæc omnia

neq; sunt, neq; unquam fiunt humanæ naturæ proprietates'.

XI. Quia enim hæ proprietates divinæ naturæ non sunt accidentia, sed sunt ipsa divina essentia, non possunt alterius, seu humanæ in Christo naturæ proprietates essentiales fieri, nisi illam 1. simule essentia Deum esse, 2. & divinam essentiam, quæ priusquam montes fierent, aut formaretur orbis & terra, ab aeterno fuit, in tempore coepisse, absurdissimè statuatur..

XII. Eadem ratio est proprietatum humanæ naturæ, cuiusmodi sunt: corpoream esse creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptam, pati, mori, ascendere, descendere, de loco ad locum moveri, esurire, sitiare, algere, æstu affligi; & si quæ sunt similia. Hæc neq; sunt, neq; unquam fiunt naturæ divinæ proprietates. Declarat Form. c.p. m. 737.

XIII. Cum enim naturæ distinguantur δια των ιδιωμάτων αὐτῶν, & confusis idiomatibus confunduntur naturæ ipse, si id quod proprium est unius, statuatur fieri proprium alterius, injurius proinde est in ipsum Deum, qui contrarium asserit: Deum mutationis expertem eidem subiicit: incorporeū membris corporeis induit: infinitum limitibus certis circumscribit: omnipræsentem certoloco ineludit &c. Imò Deum, Deum esse negat.

XIV. Atq; sic id, quod primum in hisce thesibus expedire voluimus, compendio repetimus. Duæ naturæ, divina & humana, in Christo unam personam constituant, in qua natura utraq; suas essentiales proprietates retinet, & unius naturæ proprietates essentiales, nunquam alterius naturæ proprietates essentiales fiunt. sequitur porro secundum membras.

XV. Cum

XV. Cum duas naturas in Christo ita unitas sint ut *in Christis aliis personis* constituant unum, mutua hinc naturarum oritur communicatio. Natura enim humana Christi in communionem hypostaseos *vias λόγος* pervenit, per quam subsistit; vicissim divina natura filii Dei corporaliter inhabitat in assumpta carne. Atque sic natura humana divina habitaculum; divina vero natura humanas *ὑπόστασεις* & subsistentiam communicat. *Vera enim communicatio est unius inter plura distributio, et de eodem participatio.* Jam vero in Christo duas naturas participant de una *λόγος ὑπόστασης*. Ergo.

XVI. Naturarum hanc communionem ostendit Johannes c. 1, v. 14. *Verbum caro factum est*, asserens carni seu humanae naturae communicatam esse verbi *ὑπόστασην*. Et Apostolus Hebr. 2. 14, asserit; *quemamodum pueri communicaverunt carni et sanguini, similiter ipse quoque particeps factus est eorum.*

XVII. Argumentor. Si ergo *λόγος*, particeps factus est carnis & sanguinis sicut pueri, realis est inter carnem, sanguinem & *λόγον*, seu inter duas naturas divinam & humanam communicatio. At verum prius, ergo & posterius.

XVIII. Major per se clarissima est. Nos enim homines revera carnis & sanguinis sive humanae naturae unde homines dicimus, reddimur particeps. Minor planissime in textu habetur, in quo asseritur, sicut pueri communicaerunt carni & sanguini; ita filius Dei *παραπλήσιος μέτοχος* sive particeps factus est eorum.

XIX. Hinc etiam confitemur, quod Deus sit homo, & homo sit Deus; id quod nequaquam ita se haberet, si divina & humana natura prorsus inter se nihil revera & re ipsa

& re ipsa communicarent. *Quomodo enim filius hominis filius Dei vivi verè dici posset.* Matt. 16. 16. *Quomodo filius Marie filius altissimi*: Luc. 1.32. *verè appellari posset*. aut esset, si ipsius humanitas cum filio Dei non esset personaliter unita! atq; ita realiter, hoc est, verè & re ipsa nihil prorsus, excepto solo nudo nomine cum ipso Commune habere?

XX. prædicationes hæc, in quibus natura Christi humana de divina natura, & hæc de illa, non in abstracto, sed in concreto prædicatur, ut quando dicitur, Deus est homo, homo est Deus, filius Mariæ est filius altissimi, & similes; personales ab unione personali nominantur. Atq; sicut ipsa unio duarum naturarum realis est; ita quoq; prædicatio realis & vera erit, nec nomine tenus de homine Deus, de Deo homo prædicabitur..

XXI. Quia tamen Extra controversiam magnum pietatis mysterium est, quod Deus est manifestatus in carne, 1. Tim. 3. 16. quia unio est mirabiliter singularis & singulariter mirabilis, nec rationi cognita, nec in natura usitata; hinc nec ars rationis Logica, ullum prædicatio-
nis modum habet, ad quem prædicationes hæc referri possint. Quare & vulgo à Theologis Orthodoxis iniuste, à re inusitata dicuntur. Tantum de secundo Membro.

XXII. *Tertio ex naturarum unione & Communicatio-*
ne idiomatum seu proprietatum proficiscitur communicatio. Non enim naturæ nudæ, sed suis ditatæ & instructæ proprietatibus, personaliter unitæ sunt & qui naturā principium proprietatum accipit inde pro manantia propria simul accepit. Ut enim sine calore ignem, sine humiditate a- quam dare non potes ita nec in reliquis rebus omnibus naturam & intimè inhoerentia propria separabis".

XXIII. In

XXIII. In hac verò personali naturarum arctissima unione & communicatione, tantò minus hæc idiomatum seu proprietatum communicatio negari potest, quantò arctior τὸ λόγος καὶ ποστασίας & ejusdem idiomatum, quæ cum ὁποῖος ἀδιάγετως unum sunt, est conjunctio. Athypostaseos, ut ante ostensum, datur communicatio. Ergo & idiomatum divinorum τὸ λόγος, quæ ἀμέριστος & ταὐτός cum suis proprietatibus est, datur communicatio. Hæc autem principij sui personalis unionis & naturarum communionis imitans rationem, & ipsa personalis est.

XXIV. Sed quoniam ex accurata sacrarum literarum lectione & consideratione, orthodoxi Ecclesiæ doctores notarunt, non esse unius generis propositiones, quæ de Christo usurpantur, distincta aliquot genera, seu diversos aliquos communicationis idiomatum modos, constituere necessum habuerunt.

XXV. Verum quia omnes illæ propositiones, quotquot ad præfens negotium pertinent, ad tres classes commode referri possunt, hinc tria genera communicationis constituta (licet Formula concordia Explicatores. Hutterus, Gerhardus & alij pro quatuor generibus certis argumentis militent) quibus & nos contenti sumus, & eo quo in Forma concordia recitantur ordine, eadem considerabimus, ita ut 1. agamus de communicatione proprietatum 2. de communicatione operationum. 3. de communicatione Majestatis. Nam de ordine non est quod hic simus admodum solliciti, modo de re ipsa constet.

XXVI. Primum genus, quod Nazianzeno ἐπιχειρεῖς ὅμολάτων. Cyrillo ἴδιωτον οἶσις; in scholis verò usitate communicatio proprietatum dicitur, est, quando ea, quæ

uniuersitatem naturae, non seorsim quasi separate, sed toti persona, que simul Deus & homo est, attribuuntur, sive Deus, sive homo nominetur.

XXVII. Hæ prædicationes primi generis ita subdistingvntur, *ut aliae sint*, ubi propria alterutrius naturæ prædicantur de persona, *Et aliae*, ubi propria humanæ naturæ prædicantur de filio Dei. Differunt ergo in eo hi modi, quod prior pro subiecto obtineat totam personam: posterior verò divinam naturam, sed in concreto, siue subiectum hic est, filius Dei incarnatus.

XXVIII. Prioris modi Exempla sunt: *filius Dei sustinet omnia virtute verbi sui*, Hebr. 1. 3. *Iesus Christus heri & hodie, id est, ab æterno*, Hebr. 13. 8. *Christus mortuus est, resurrexit, sedet ad dextram patris* Rom. 8. 34. *Christus est ex patribus, quod ad carnem attinet*, Roma. 9. 5. *Christus morte affectus est carne*, 1. Pet. 3, 18. 1. Pet. 2, 21. Fundamentum hujs communicationis est *unitas persona*. Cum enim post factam incarnationem persona Christi complectatur duas naturas distinctas, divinam & humanam, propterea utriusq; naturæ idiomata de persona enunciantur, & ea quæ unius naturæ sunt, toti personæ rectè tribuuntur.

XXIX. Ne autem quis ea, quæ toti personæ tribuuntur, utriusq; naturæ proprietates esse, vel utriq; propria fieri putet, in scriptura nonnunquam particulæ distinctivæ adduntur, quibus proprietates suæ cuiq; naturæ vindicantur. Nam quanquam utriusq; naturæ propria toti personæ tribuantur; tamen hæc attributio fit respectu unius naturæ per communicationem idiomatum; respectu alterius per naturæ proprietatem. Sunt autem illæ particulæ, ut diximus distinctivæ, non separati

ratiæ, & monstrant propter quam naturam hæc, aut ista propria toti personæ tribuantur

XXX. Posterioris modi exempla sunt : *respsicent ad me, inquit Ichova, quem transfixerunt, Zach. 12, 10, Autorem vita interfecisis, Act. 3, 15.* Deus proprio suo sanguine acquisivit sibi Ecclesiam, *Act. 20, 28.* Reconciliati sumus Deo, per mortem filii Eius, *Rom. 5, v. 10.* Proprius Dei filius pro nobis in mortem traditus, *Rom. 8, 32.* Dominum glorie crucifixerunt, *1 Cor. 2, 8.*

XXXI. Fundamentum hujus communionis est. Quia filius Dei in temporis plenitudine humanam natu- ram in hypostaseos suæ unitatem assumpsit, ideo etiam omnia istius humanæ naturæ idiomata, verè & realiter sibi appropriat, & quidem tam verè ac realiter, ac si in propria sua Deitate eadem haberet. Hypostasis enim post factam incarnationem utiq; divinæ & humanæ naturæ communis est & eadem.

XXXII. Non itaq; mere verbales sunt propositiones istæ primi generis : filius Dei est natus, passus mortuus, & contra; filius hominis est æternus; sed summe reales. Qui eas merè verbales stasuit, vel insigniter imperitus est; vel certe unionem personalem solvit. Nam enunciationes, quæ merè verbales sunt, falsæ sunt, cum scil. verba rebus non contentiant. Et si proprietatum vera non est communio, neq; naturæ veræ sunt unitæ.

XXXIII. Quamvis enim (verba sunt Lutheri in confess. Majore) divinitas neq; pati, neq; mori potest, nihilominus tamen, quia divinitas & humanitas, in Christo unam personam constituunt, scriptura propter hypostaticam illam unionem, etiam divinitati illa omnia tribuit, quæ humanitati accidentunt, & vicissim

humanitati, quæ divinitatis sunt. Et sane revera ita
res sese habent: Hoc enim fateri te necesse est: *Hæc per-*
sona, monstrato Christo, patitur, moritur: Hæc autem persona
est verus Deus. Rectè igitur dicitur: *Filius Dei patitur.* Et si
enim una ipius pars, (*ut sic loqear*) divinitas videlicet, non
patiatur, tamen ea persona, quæ Deus est, patitur in altera sua
parte, nimis in humanitate. Revera enim filius Dei pro
nobis est crucifixus, hoc est, persona, quæ Deus est. *Ipsa enim, i-*
psa, inquam, persona crucifixa est, secundum humanitatem.
Hæc ille.

XXXIV. Quapropter verè filius Dei pro nobis est
passus, sed secundum proprietatem humanæ naturæ,
quam in unitatem divinæ suæ personæ assumptis, sibiq;
eam propriam fecit, ut videlicet pati, & pontifex noster
summus, reconciliationisq; nostræ cum Deo causa esse
posset. Sic enim scriptum est: Dominum gloriæ cru-
cificerunt, 1 Cor. 2, 8. Et sanguine Dei redempti su-
mus, Act. 20.

XXXV. Ita quoq; hanc rem explicat Cyrillus, cuius
verba in Concil. Chalced. hæc leguntur: sic illum dici-
mus & passum esse, non quia Deus Verbum in sua natu-
ra passus sit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut
alia vulnera suscepit (Deus namq; incorporalis extra
passionem est) sed quia corpus illud, quod ipsius pro-
prium factum est, hoc sustinuit, ideo hæc omnia pro no-
bis ipse dicitur passus. inerat enim in eo corpore, quod
patiebatur, Deus qui pati non potuit. Et Leo Epist. io.
ad Flavianum inquit: *Filium Dei dicimus passum & mor-
tuum, non in naturæ divine proprietate, sed in assumpta hu-
manæ naturæ infirmitate.*

XXXVI.

XXXVI. Secundum genus communicatio*nis idiomatum*
à Cyrillo ονοματίᾳ γη̄ ονοματοίσις à Damasceno
περιφράσις, communiterq; communicatio & πορεία
μάρτιον sive operationum officij, dictum, Est, definitio
concilio chalcedonensi, quando utraq; natura in Christo,
agit cum communicatione alterius, quod cuiusq; propri-
um est.

XXXVII. De hoc concord. Declar. p. m. 746.
Quod ad rationes officij Christi attinet, persona non agit
& operatur, in seū cum una, vel per unam naturā tantum,
sed potius in, cum, & secundū atq; per utramq; naturam:
seū, ut concilium chalcedonense loquitur, una natura agit
seū operatur cum communicatione alterius, quod cu-
jusq; proprium est. Itaq; Christus est noster mediator, re-
demptor, rex, summus pontifex, caput & pastor. &c. non secun-
dum unam tantum naturam sive divinam, sive humānā, sed
secundum utramq; naturam.

XXXVIII. Fundamentum hujus secundi generis
est, quod filius Dei ideo assumpsit naturam humānam
& in eum finem facta est unio duarum in Christo natu-
rarum, ut officium redēptionis in utraq;, cum utraq; &
per utramq; Christi naturam perficeretur. Nam si res
redēptio à morte Diabolo, ira Dei & æterna damnatione
potuisset effici vel per divinitatem solam, vel per huma-
nitatem solam, frustra filius Dei fuisset incarnatus: sed
quia ea, quæ ad officium Messiae prætinebant, non potu-
erent per alterutram tantum naturam (stante veritate
justitiæ Dei) præstari; ideo divino decreto, ad redēpti-
onem humani generis, facta est ineffabilis hæc duarum
naturarum in unam hypostasin unio. Ethuc Paulus
respicit, cum Gal. 4, 5, ait: Deum ideo filium suum misser-

factum ex muliere, & legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxii, redimeret. Quapropter omnia opera, quæ redemptionis officium propriè concerunt, non unius sunt naturæ, sed utriusq; quæ ideo Apotelesmata à patribus vocantur.

XXXIX. Hinc est, quod testimonia Sacrae Scripturae Modo opus redemptionis toti personæ ascribunt; Christus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, Gal. 3, 13. Christus dilexit nos & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bone fragrantie, ad Eph. 5, 2. Modo ad redemptionis apotelesmata divinam concurrere asserunt. Iehova justitia nostra, Jer. 23, 6. Postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi subjectum, ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret, ad Gal. 4, 4, 5. Ad hoc manifestus factus est filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, 1. Joh. 3, 8. Modo ad humanam Christi naturam opus mediationis quoq; pertinere ostendunt. Semen Mulieris conteret caput serpentis, Gen. 3, 15. Filius hominis, venit ut servaret animas hominum, Luc. 9, 56. Adde Matt. 26, 28. c. 9, 6, 1. Tim. 2, 5.

XL. Hinc istæ actiones Theandrica sunt dictæ, in quibus natura utraq; agit cum alterius communicatione, ut omnis divina actio quasi humanata; & omnis humana actio quasi Deificata, intelligenda sit.

XLI. Principale quidem in his agens est tota persona, cui ex utraq; natura constanti, ipsu ascribitur apotelesma, juxta illud; *Actiones & passiones sunt suppositorum*. Nec tamen èveyt utriusq; naturæ confunduntur: utraq; natura agit, id quod sibi est proprium; verbo nimirum operante, quod verbi est, & carne exequente quod carnis est,

nis est, unum tamen est conjunctissime unitarum & operantium naturam apotelesma. Et Christus, juxta Dionysii regulam, quam citat Damascenus lib. 3. c. 19. *τὰ ἑαυτὰ ἀρθρωπνῶς, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἑαυτῶς*, perficit.

XLII. Illustrari hæc solent, similitudine gladij Igniti, quam Damascenus lib. 3. c. 19. addueit. Hujus duplex est actio incisio & uscio; illa à natura ferri acuti, hæc natura ignis in eodem gladio. Et commune quidem opus est, usciæ incisio, sive incisa uscio; unus tamen saltem gladius, unam suppositum. Sic in una persona Christi diversæ sunt actiones; sicut & diversæ proptietates, & actiones istæ realiter inter se distinctæ sunt, ad communem tamen apotelesma unitæ, communionemq; invicem habeutes².

XLIII. *Tertium genus communicationis idiomarum*, ex Basilio dicitur *μετάδοσις*, ex Gregorio Nysseno *μεταφορά*, ex Apostolo Paulo *καρκίνωσις* nominatur; Utilitate communicatio Majestatis appellatur. Est autem ex Damasceni descriptione L. 3. c. 13. *Quando divina natura filij propriam suam excellentiam, aut gloriam caruit communicat, manens ipsa impassibilis, & expers passionum carnis.* Idcirco divinæ naturæ proprietates, humanæ Christi naturæ in tempore donatae, de ea enunciantur..

XLIV. Huc pertinent omnia illa dona, quæ humanitatí, per unionem personalem sunt concessæ: *tum insignes illæ dotes, & finita dona creata, quæ humanæ Christi naturæ formaliter, habitualiter & subjectivè inhoerent: tum illa infinita & Vere divina dona, quæ per unionem hypostaticam, humanæ in Christo naturæ à divinitate r̄ λόγῳ sunt communicata.*

XLV. Sed quoniam priora illa in creaturis quod ut angelis & pijs, licet gradu inferiore, inveniuntur. Et iij, quibus potissimum se opponit in hoc articulo concordia, Christo homini illa concessa esse concedunt; de posterioribus nobis erit sermo. Ostendemus itaq; humanae naturae Christi, in personam της λόγου assumptæ, & in persona filij Dei subsistenti; ex unione, & propter unionem hypostaticam, divina & infinita dona concessa.

XLVI. Probabimus hoc 1. generaliter, postea in specie ostensuri, quæ præcipue idiomata suam ἐνεγγεγένεται per assumptam carnem exerant.

XLVII. Patet id 1. in genere ab inhabitatione universæ plenitudinis divinitatis. In quocundam habitat tota plenitudo divinitatis corporaliter, eidem divina idiomata communicata sunt. At in Christo habitat tota plenitudo divinitatis corporaliter. Ergo, Minor patet Ex coll. 2, 9. Matt. 11. 27.

XLVIII. Probatur id 2. a modo subsistendi. Quicunq; subsistit in divina & infinita hypostasi, ei etiam divina & infinita dona sunt communicata (quia non potest infinita hypostasis communicari sine aliis infinitis donis. Si quidem hypostasis της λόγου non differt realiter à λόγῳ ipso & ejus attributis) At humana Christi natura subsistit in infinita hypostasi. Ergo ei divina & infinita dona sunt communicata.

XLIX. 3. Illa natura, quæ exinanita est, ad divinam sublimitatem exalta & elevata esse dicitur. ad phil. 2. v. 7. & seq. Hebr. 2, 7. At humana in Christo natura est exinanita. Ergo etiam eadem addivinam sublimitatem est elevata. Major est Manifesta. Nam 1. posthumiliationem, quæ

quæ in tempore facta, Deus illum exaltavit, & dedit ipsi nomen, quod est super omne nomen, phil. 2, 9 2. post illam, infra angelos ἐλάττων, eum gloria & honore coronavit Deus constituitq; cum super omnia opera manuum suarum Hebr. 2, 7, 8, 9.

L. Consentit 4. nobiscum tota orthodoxa antiquitas, quæ secundum verbum Dei, verissime statuit, quicquid in tempore Christo datū, id ei respectu humanae naturæ datum esse. Divina enim natura perfectissima, Celsissima & infinita est, ut illi dari nihil; Et immutabilis, ut accipere nihil possit.

LI. Addatur 5. his illud Leonii Epist. 22. Dicant adversarij veritatis, quomodo omnipotens pater, vel secundū quam naturam filium suum super universa provexerit, vel cui naturæ cuncta subjecerit? Deitas enim verbi, par in omnibus, & ὁ ποτέ εστι patri, atq; intemporaliter una eadem potentia est genitoris & geniti. Et mox Huic (divinæ naturæ) si addita potestas est, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas: minor erat provehente, qua crevit, nec habebat divitias ejus naturæ, cuius indiguit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam Arrius rapit: cuius perversitati multum hæc suffragatur impietas.

LII. Sufficiat hæc universaliter hoc modo monstrasse; Jam ad specialem certorum idiomatum ostensionem pergengum esse Methodi ratio postulat.

LIII. Quamvis autem tota divinitatis plenitudo assumptæ carni sit communicata, sex tamen divinitatis idiomatum potissimum Scriptura meminit, quæ in & per hanc carnem suas energias maxime exerunt. Sunt illa, omnipotentia, omniscientia, potestas vivificandi, potestas iudicaria, cultus adorationis, omnipresentia. Hæc omnia & singula Christo secundum humanitatem concessa esse breviter probabimus.

LIV. Omnipotentiam esse attributum divinum, ipse Deus omni exceptione major testis est Gen. 17, v. 1. *Ego sum Deus fortis omnipotens.* At hæc Christo homini est concessa, sicut ipse fatetur Matt. 28, 18. *Miki data est omnis potestas in cælo & terra, potestas illa est potestas aeterna.* Dan. 7, 14. *Potestas omnis carnis* Joh. 17, 2 ita ut omnia sint subjecta sub pedibus ejus & nihil illi non subjectum Heb. 2, 8. Athæc quid est aliud quam ipsa omnipotentia? Infinitum enim dominium, & quidem efficax, præsupponit infinitam potentiam.

LV. Omniscentiam humanæ Christi naturæ esse communicatam testantur illa, quæ asserunt 1. Christum sine mensura spiritum accepisse, Joh. 3, 34. 2. Christum novisse quicquid abstrusum est in cordibus hominum, Joh. 2, 25. Marc. 2, 8. 3. Omnes thesauros sapientia in Christo absconditos esse Coll. 2, 3.

LVI. Quod vis & potestas vivificandi, humanæ naturæ Christi, ex unione cum λόγῳ obtigerit, inde liquet quod secundum humanam naturam habet 1. Virtutem miraculose sanandi, Act. 10, 38. Luc. 5, 17, 24 2.º Vim mortuos resuscitandi, Joh. 11, 44. 1. Cor. 15, 21, 22. 3. peccata expiandi Joh. 6, 51. 1. Joh. 1, 7. c. 2. 2. 4. peccata condonandi, Matt. 9, 4. c. 16, 19. Joh. 20, 23. 5. Quod ipius caro & sanguis est cibus & potus vivificans, Joh. 6, 53-54. 55. Matt. 26, 28.

LVII. Humanam Christi carnem, per unionem hypostaticam, potestatem Iudicariam esse adeptam, hæc arguant. Deus statuit diem, quo Iustè Iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definit Ad. 17, 31. Dedit pater filio, ait Christus potestatem Execendi Iudicium, quatenus filius hominis est, Joh. 5, 27. Quod ita Explicat Cyprianus in serm. de Ascens. Domini: Invisibilis Deus, visibilem

bilem hominem ad dexteram suam recepit, & humilitatem carnis nostrae throno Judiciario honoravit.

LVIII. *De cultu adorationis religiose, quæ infinitam scientiam & potentiam presupponit, (solus enim omniscius omnium preces & suspiria, solus omnipotens omnibus labo- rantibus & invocantibus succurrere potest) res manife- sta est; in ejus communionem, interventu unionis personalis, humanam Christi naturam pervenisse, pro- bant. Primò Vaticinia, in quibus nascituro Messiae cul- tum adorationis exhibendum esse, asseritur: Psal. 72, 11. Isa. 45, 23. Dan. 7, 14. At nasciturus erat, qua homo. Ergo & Christo, qua homo, cultus adorationis debetur. Secun- dò dictum Apostoli ad phil. 2. 10. quo Ex gratia datum esse Christo nomen super omne nomen affirmatur, ut in nomine Iesu se flectat omne genu. At Christo secundum divinam natu- ram juxta quam ipsi naturam debebatur Cultus adorationis, ex gratia ille dari non potuit. Ergo secundum humanam naturam datum est ipsi adorabile nomen.*

LIX. Addimus his *Quarto orthodoxæ antiquitatis consensum. Magnum est & stupore plenum, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab angelis, Archangelis, hoc saepius in mente versans, excessum patior, ait Chrysost in c. 2 ad Hebr. In Christo humanitatem, non solam aut nudam, sed divinitati sua unitam, qui adorare contempserit, penas dabit ait August. Tom. 10, de verb. Domini, Serm. 38. Caro inadorabilis est, ut creatura, unita autem Deo verbo propter ipsum, & in ipso, adoratur, Damasc. l. 4. c. 2.*

LX. Tandem λόγον cum assumpta humana natura suam omnipresentiam communicasse seu assumptam naturam humanam, in hypostasi filij Dei, omnipresentem esse, & operari omnia in omnibus, evincimus i. Ex manifestis Se- testimonis

testimonio, ex Psal. 110, 2. Quicunq; dominatur in medio inimicorum, illenon absens, sed omnipræsens est. Dominatio enim talis prærequisit præsentiam, cum nemo in medio, nisi qui præsens, officium possit exerci, ad Eph. 1. 20. Deus Christum constituit ad dexteram suam in cælestibus longè supra omnem potestatem. Et mox v. 23. qui omnia in omnibus adimpler. Qui omnia in omni bus completer, is quoq; in propinquo adest secundum substantiam, & præsentissimus omnia in omnibus operatur. Confer Eph. 4. 10. Matt. 18. 20. c. 28. 20. Ioh. 3. 13. 2. Ex unione personali ita argumentamur: Si Christus secundum humanam suam naturam non est ubicunq; est divina natura, sequitur Christum non ubiq; esse θεόν φωτον. Nam ubicunq; non est humana natura Christi, ibi Christus non est homo. At consequens est falsum. Ergo. Minor patet. caro enim αδιάσαρ@. sive indistanter est unita τῷ λόγῳ; nunquam itaq; & nusquam erit absens à divina natura sed ubiq; locorum eidem præsentissima; quia! unio hypostatica consistit in præsentissima naturarum περιχώρησε & præsentissima naturarum præsentia. Ubiq; igitur Christus est Θεόν φωτ@, id est, simul Deus & homo, ibi etiam sua humanitate adest. At ubique est Θεόν φωτ@. E. etiam Christus ubiq; sua humanitate adest. Hinc Oecumenius super Eph. 4. 10. Nuda divinitate olim omnia implebat. In carna-
tus autem descendit, & ascendit ut una cum carne imple-
ret omnia.

LXI. Et tantum pro instituti ratione de thes; iam brevissime subjungeamus reiectionem contrariae doctrinæ.

LXII. Repudiamus itaq; atq; damnamus non tantum Nestorii, Eutychetis, Ariji & Marciouis blasphemos Eetros; sed etiam omnia falsa & absurdâ Sacramentiorum dogmata, quæ prolixè recitat F. C. a negativa quinta ad finem usq; articuli octavi.

*Æterno DEO, Soli sapienti gloria per Jesum
Christum in secula, Rom. 16, 26, 27.*